



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

8. Actus Humilitatis Lapides fundamentales

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

mulatione inspicit, & sine palpatione dijudicat, inquit S. Bernardus. Ser. 42. in Cant. Nimirum, ad solarem radium atomi deteguntur, qui latebant antea.

ARTICVLVS VIII.  
ACTVS HVMILITATIS  
*Lapides Fundamentales.*

PRÆFVNDAMENTO firmiter stabilito, Lapides Fundamentales, qui sunt actus Humilitatis, illi imponit facer Architectus Ut sint in promptu numeris arithmetici designabo præcipuos. I. est VILIPENSIO, CONTEMPTUS sui. Nam ex Notitia sua oritur, ut quis se, quoad ea, quæ ex seipso habet, nihil æstimet. II. *Æstimatio suorum depressa.* Reputat enim se omnibus DEI bonis indignū, & ad omnia ineptum, idq; sine falsitate, ut docet S. Thomas 2, 2. q. 161. art. 6. ad 1. Siquidem talis est secundum ea, quæ ex seipso habet. III. *Despectus laudis & gloria.* Humilis namque veritatis amore impulsus non cupit ab aliis magni æstimari, vel laudari, quia videt id sibi neutiquam congruere, sed ei à quo omne bonum accepit. Quare usurpat illud Apostoli: *Regi Seculorum Immortali, & Invisibili Honor & Gloria.* Certè, non imago aut pictura laudem meretur, sed pictor: nec olla, sed figulus. IV. *Desiderium contemptus.* Optat haberi vilis, qui verè est Humilis, & ab aliis contemni. Talem enim cupit se ab aliis æstimari, qualem se veritatis sententia, & in oculis DEI novit esse. Rectè S. Bernardus: Ser. 16. in Cant. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis predicari: gaudet contemptu sui: hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnat.* Quantum nimirum in ipso est: nam non semper expedit, ut alii nos nihil æstiment propter ædificationem & fructum aliorum, ut alibi monet idem Sanctus. V. *Dolor de honore sibi*

*exhibito.* Humilis dolet, si se videat magni fieri: nec illum honorem in animo sibi attribuit: immò, nec admittit, nisi fortè ratione officii, aut doni quod habet: atque ita illum in DEUM tacitè saltem & implicitè refert. VI. *Dejectio voluntaria* infra omnes: scilicet dum in se defectus, in aliis perfectionem considerat. VII. *Subjectio infra DEUM demississima.* Infra homines quoq; propter DEUM, finens se ab iis, tanquam DEI instrumentis gubernari, secundum Apostoli Petri præceptum: 1. Petri 2. *Subjecti estote omni humanae creaturae propter DEUM, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam à DEO missis. quia sic est voluntas DEI.* VIII. *Electio vilium* in exterioribus. Eligit humilis id quod abjectius: locū inferiorem in confessu, latus sinistrum in congressu, socios quibus cum agat abjectiores, officia minus honorata, vestes magis detritas ac simplices, supellectilem vulgarem, atq; ita in aliis quibuscumque: servata tamen decori ratione in usu, quam personæ & officii conditio exigit.

## ARTICULUS IX.

*Partes Fundamenti, quod est*

## HVMILITAS.

**F**VNDAMENTVM istud ex duabus partibus componere videtur S. Bernardus: unam vocat *Humilitatem cognitionis* vel iudicii: alteram *Affectus*. Ser. 42. in Cant. Est, inquit, *Humilitas, quam nobis veritas parit. & non habet calorem: & est Humilitas, quæ caritas format, & inflammat: atque hac quidem in affectu, illa in cogitatione consistit. Etenim tu si te metipsum intus ad lumen veritatis, & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione dijudices, non dubito quin humiliaris, & in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui: quatinus necdum fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur Humili,*